

1759.  
185.13

# JOANNES ante portam Theandrici Cordis, seu *pendulus è Virgineo JESU pectore* INNOCENS AMORIS UNIO SUB RECTORATU

*Admodum Reverendi, ac Eximii Patris*

## P. HERMANNI OPPERSDORFF

è Societate JESU

SS. Theologiæ Doctoris, Domus Professorum Ejusdem Societatis ad S. Nicolaum Micro-Pragæ Præpositi,

*nec non*

Alma Cæsareæ, Regiæq; Universitatis Carolo-Ferdinandeæ Pragensis p. t. RECTORIS MAGNIFICI.

Coram Senatu, Populoque Academico

*Inter anniversaria Ejusdem Divi Tutelaris Solemnia*

In Basilica Salvatoris panegyricè exhibitus

*A B*

IGNATIO CZERMAK Societatis JESU Religioso

Anno 1719. Die Maii.

---

PRAGÆ, Typis Universit. Carolo-Ferdin. in Collegio Soc. JESU ad S. Clementem.





# ORATIO.



Atis jam pro gracili marinorum  
æstuum gelu decertatum sit ô syde-  
ra ! satis jam ô Numina Ponti ! pro  
modica roscidæ asperginis sphærule ,  
durata in unionem , litigiosa studia  
sunto producta ! Exegit quidem non  
ad horarias tantummodo clepsydras ,  
sed solares annorum circulos pro por-  
tentosa ingeniorum iliade , insolenti  
naturæ opere , elimoto Poëtarum capite , Homero Græcarum  
Urbium septenarius suam disceptationem ; non tamen proli-  
xas perinde explevit ætatum periodos , quas margariti pretium  
etiamnum sibi vendicat prorogare . Nam edicite , oro , si ur-  
banitatis quidpiam sapitis , vos gigantæ effervescentis Oceani  
montes ! olympum impetentes æquorei Ossæ ! edicite , inquam ,  
quem despumatus irati Neptuni furor identidem petit ? quem  
vester insultantium vocum fragor Æoliz Erynnes ? totò num-  
quid aberravero cælō , si hoc ipsum vestri furoris statuero sco-  
pum ? Verùm nec ipse Jupiter continuè tranquillum aëris e-  
navigat æquor , ut marius subinde lacesitus impete trisulcam  
non exoneret dexteram , suam , quam Neptuno impuberem ad-  
huc educandam dederat , adultiorem jam redepturnus sobolem  
unionem . Cujus quidem genesis cùm expendo : Neptuni-  
ne matre conceptum , Jove parente genitum , altore Phœbō  
maturatum , propitiâ cæterorum astrorum aulâ lego confotum .

Concha genethliaca domus, quam humilis, tam nobilem profert partum, celi sudissimæ regioni invidendum æmulum ! Sic adolescit. Nunquam enim AA. spectâstis ipsum lucis parentem fallaci nubium sibi pâriò suam obvelâsse Majestatem, ut vel eclipsatus, radiorumque syrmate minutus, suâ ipsius amplitudine minor videatur ? Spectâstis utique ; sed accipitote, velim, & finem personatæ hujus humilitatis. Volebat forte, in recens nato unione candoris, claritatisque summarium in sui pellucere amorem, alieno nitore umbras suas illustratus. Nemedum tamen hoc solari magnetismô attractum uspiam vidi unionem. Imò quoties ipsa alboris genitrix, Cynthia, dudum desertâ Superum statione cum argenteæ lucis eclypo suas vires mutasset, nisi liquidum elementum, igni hosticum, subtmuisset. Tantò illa opere gemmeum ambit candorem, ex cuius aspectu sibi nativas ( si posset ) erubesceret maculas. Quid, quod dolosum arietem in candidæ simplicitatis hieroglyphicum motura felicius, conchylium quo lunis mentitur, cornua in sinum explicat & brachia ; ut sub plenilunium cœlesti rore grava, ceu alienâ prole, uterò conclusâ, jaæctet fæcunditatem, atque ita nævos palliet, ad quos toties expallescit. At & sic casò labore fallitur sydus erraticum : quando sphæricus maris ocellus totus Argus, unusque clarius, atque nox centocula discernit jaæcta sibi, ut ut oculata, technarum retia, quibus subdolum irretiatur. Insurgat itaque conjuratum umbratilium Deorum synedrion, singularèque certamen ineat ! utri spectet hoc pretiosum oculorum fascinum ? Triton suum tuebitur obfidem, dum suavior Thetys, interim vices gerulæ actura, super aquas agitabit conchatas cunulas, sirenulis dulcè occidentibus quietis carmen. Jam verò si tanto in amore hic Charitum amor est, insons arrogantia Veneris, ridentis Phosphori lacrymula, adscititium regiorum insignium parergon, gemmans negotiatorum sudor, virens urinantum spes, albissima æquorei campi messis, squammeæ gentis pellucidum speculum. vividissima, inanimis tamen, innocentiae imago ; si, inquam, eo in amore

amore est, ut Cadmea propè discordiarum semina unicus ferat  
unio, nudæ & imbecillis naturæ opus ; quantam, opinanimi AA.  
uberrimæ, ac præpotentis gratiæ artificium, animata illa inno-  
centia, leđissimum Divini pectoris ornamentum, nitidissimus  
supernorum influxum ros, non lymphatici Jovis, sed Tri-Unius  
DEI conceptus, gratiæ & sanctitatis partus, reconditorum à sæ-  
culis mysteriorum clarissima abyssus exciverit toti cælo cum  
admiratione æmulationem ? quando ante portam Cordis The-  
andrici, ceu innocens amoris unio, unus Joannes, eleclus ex  
duodecim pendulus hærebat, qui per gratiam intimis fibris in-  
fixus erat. Næ Cælites hanc Justitiæ Solis pupillam sic fove-  
ri iniquiore tulissent oculò, si invidiâ tangi potuissent ! Atque  
hæc Magnifice D. Rector, Spectabiles Decani, Eximii, Clarissimi,  
Excellentissimi, Doctissimique Professores, atque Auditores Orna-  
tissimi, hæc, inquam, Virginei candoris crystallus non tam in se  
defixit, quam omnem abripuit Oratoris oculum ; hunc ut illi-  
mem referam (cum venustatem Joannei margariti examinatum  
eo) vos AA. faventer aspirando, si quis occurreret, dissipate exi-  
litatis meæ pulverem : nè Verbi pupillam vel offendam in verbo.

Si mutam candidæ innocentiaæ Vocem, eique prædi-  
vitæ à sollicita matre natura, more hæreditariò legatam, di-  
spicio dotem ; luculenter adverto animum, fororiam Gra-  
tiarum triadém in unum margaritum ditissimam penum con-  
tulisse, dum donorum exploro ternarium, à quo illud suum  
cumprimis pretium depropmsit. . Nam quod à nive candore  
non discrepet, quod olorinum colorem superet, non obstupesco.  
Purissimus cæli id destillat alveus ; nec è candoris patria ob-  
scuritatis quidpiam expectes. . Et sanè si ( Physiologi effato  
credimus ) majorem cæli societatem, quam maris unio indipiscitur , Plin. Nat.  
& pro matutina claritate serenum colorem trahit. Quis citra proter- Hist. l. 9. c.  
vitatis notam negare ausit & Joannem continuò ab amoris sui 35.  
tirocinio illam hausisse candoris juxta ac claritatis excellentiam,  
ob quam tanto plus ultra mortalium vulgus sapiebat, quanto  
innocentissimorum morum Magistro similior reddebat, è cu-

jus finu in peculiare dilectionis argumentum dependebat. Scio  
equidem Vatem super nivem dealbatum secretiora subingres-  
sum Numinis adyta mirum Divinæ generationis intimâ aure

Psal. 109. v. excepisse mysterium : *ex utero ante Luciferum genui te.* Aut si  
3. apud Joan- Hebræa præplacet periphrasis : *de matrice auroræ tibi ros adolescen-*  
nem de La apud Joan- *tia tua.* Bene habet AA ! nil amplius angor animi. Nam si  
Hay. Phosphorus pater est, si aurora ; ros sit, oportet, Ejus Filius,

quem proinde influxus excipiat limpidissimus, postquam totum  
se per gratiam infudit in Joannem Filius, Virgineique Roris  
fæcunditas totam se communicavit in Filio. Cæcutis igitur  
ad plenum candoris meridiem, quisquis in abyssali claritatis  
fonte piscaris maculam. Posteaquam enim Ros Divinus pa-  
rentem naætus est Auroram Virgineam ; utique & roris par-  
tus non erit, nisi Virgineus, nisi intemeratus. Glorietur ergo  
liliata Chloris de portentosa candoris majestate, & ultra pom-  
paticam Salomonis gloriam condiscat sapere ! adoro Veritatis  
elogium. Attamen niveum litorum amictum expertem vi-  
deo claritatis. Claritatem candori maritet unio, ut virgo au-  
diat, & innocentia, dignus qui non modò ab ore, sed & corde  
pendeat Sponsi Virginum. Nunquam enim inde hærere visus  
fuisset Joannes, nisi præ cæteris candore Virginitatis clariusset :  
nunquam portæ Cordis Theandrici applicatus fuisset arcano-  
rum pervigil excubitor, nisi mysteriorum revelatorum clarita-  
te enitere meruisset. Admissus erat postliminiò hic Cæli in  
terris conversantis Ocellus ad Iustrandas supernæ Solymæ por-  
tas, & singulas è singulis margaritis faberrimè factas est conspi-  
catus. Et viva pacis Visio, earundem architeætrix, Hyposta-  
tico in Corde hospitans vilescat rudi, & impolitò munita silice,  
quis persuadeat ? Vedit hic scilicet Joannes lacteâ eum gradi  
debere castarum Heroidum semitâ, qui Apocalypticæ secum,  
atque inaccessa speculatorus arcana, Virgineo in pectore re-  
cumbere concupiscit ; ut illa penetret, quæ sicut ante humanum  
oculum, itâ & auditum fugiebant. Eja proinde sublimare ad  
tertium usque cælum Paulina palpebra ! cælum tuum tibi  
haud

hābd invideo. Joānnes nōn trahitur; sed ipse remissiore nisu  
cælum trahit, tametsi admissurus ēò neminem, præter puritatis  
studiosum. Congiarium quippe hoc Virginalis integratatis esse  
affolet, ut ejus amatores à scrutandis sapientiæ, & scientiæ DEI  
thesauris ( quod charismatis genus reliquo virtutum choro mi-  
nus familiare ) nequaquam arceantur. Novum jam AA, non  
existimo, soli Joanneæ Claritati in carne concessum penetrare,  
quì Verbum caro factum sit : siquidem & Joannes ante alios à  
generatione, carnis corruptione animata, prorsum vixit alienus.

Verumenimverò nè probaturus Joannei unionis clarita-  
tem à mysteriorum obscuritate petendo argumentorum efficac-  
itatem umbræ aliquid affundam desideratæ orationis claritati :  
Vultum Ejus, si allubescit, inspicite : & illico in fronte gravita-  
tem, in oculis verecundiam, in ore genisque pudorem, in artu-  
bus ac moribus argenteos, quia Angelicos, aut certè Virgineos  
legetis charæcteres : his Angelicus Virginum chorus appositè  
Nasonis inscribat epigraphen : *Habes nostris similes in imagine vul-* 1. r. trist. E-  
*tus.* Certè enim si cælicis Charitibus datur Regios vultus ex leg. 6.  
amissi suis effingere manibus, iisdémque Numinis cujusdam par-  
tem afflare, ut id genus illectamentis invitati populi illos ament  
simul, simul & revereantur: ecquis Joannis, ipsius Gratiaæ, vul-  
tum efformaverit præter Gratiam ? quô non popularem, sed  
Regis Regum in se tantqm abstraxit animum, quantum specio-  
sum præ filiis hominum ( si fas est dicere ) sacrô in se pellexit  
fascinô. Hinc & demirari supersedeo ; quod, quem natura ad  
nassam & hamum damnaverat pescatorem, liberalior gratia ru-  
de donaverit, albicalculô insignitum, à supernis radiis olim in u-  
nionem sudandum usque ēò emaculatum ; ut quantumvis Cy-  
nicus Lucernarius nitoris diem examinet, nil minus in hac con-  
gesta venustatis Pandora deprehendat, quam maculosæ noctis  
asteriscum. Euge ! periclitare nunc, si audes, in Joanne can-  
doris pretium fæculentæ gentis dextera ! pescare in turbido  
pellucidas empyrei opes ! illaqueabis, rere, thesaurum impro-  
vidum ? apage labor improbe ! perspicacem nimis capturis o-  
culum;

culum ; prius tuas effugiet insidias, quam videas. Natura hæc unionis est : ut manum cernens in rapinam protendi concham vocet, sui vindicem, quæ concreditas operiat opes, probè gnara, se illarum gratiâ peti. Quin immorari periculo lubeat ! næ poenas in vulnere dabis si non ultrici conchylio, certè Petrino chalybi, aut fatuis minimè Boænergis ignibus, unde ictus conchytæ sapias ! uterque, candor nempe & perspicacitas, Joanni est contubernalis ; cui, si secùs nequiverit, fumosas inter proditoriæ noctis tædas & ellychnia olympionices sacratior fugâ consullet, unde posthuma innocentia ad invidiam Josephinæ laciniæ mundissimæ syndoni inaratum legat laureatum epiphicium. Quid nî ergo Joanneus unio totus candidus & pellucidus Theandrico monili pro aureo vellere appendatur, siquidem indè omnis prætextatæ, Fescenninæque licentiæ umbra longissimè proscribitur, nisi agnina mansuetudo, & demissio aliud suaderet. Recusati-mò is auratum pretium, cui charior est suus candor, utpote in quo ipse Jupiter in clientelares sinus pridem defluxisset ( forsan ut candidiore dein pectore responderent beneficijs ) si ejus Regnum parilis nitoris fructu non sterileceret.

At en ! quò me inopinum meus abripit unio ? dum etenim Incarnatæ Deitatis sinui implexum Panegyristen autumo, occultò magnetismò in apricum abstrahor, ad pedem Thaboræ rupis constitutus. Papæ ! quæ rerum scena panditur reduclò tantisper velò mortalitatis ? aut theatrum hic referatur gloriæ : adeò imbecille niçtitat cilium ad aspectum personatæ Majestatis ; aut Calum in terras effunditur : adeò festivas voces humanus non fert auditus. O utinam immortalitatis diluculum mihi faveretur ! aëtum profectò ter secundum spectator cernerem. Sed aëtum ago : non est mortale, quod opto. Exemptus duntaxat è Discipulorum ordine ternarius beatur privilegiò spectandi in corpore præludia beatitatis. At enim echo vos Thaboræ verticis exporrecta arborum capita ! vos ego per vestra sylvestria Numina ! nñmquid & Discipulus, quem diligit JESUS, ibidem mutam saltèm personam actitat. ànnæ

ânnē fallor ? claritatem illustri candori sociatam (quantum de-  
bilis obtutus patitur) tueor ? quid si & candidæ dilectionis cor-  
colum innataret isthoc in Elysio ? Ita planè AA. ubi non Pa-  
phiaz, sed cælicæ columbæ laetescit nitor, ubi roscidus, ab Aurora  
sanctiore genitus, seminatur candor, ubi Phœbea Claritas ni-  
veo intertextur gloriæ paludamento ; ibi Joannes, ibi Gratia  
est inquilina. Quandoquidem Joanneus unio, quia à corde  
pendulus, etiam tēsqua inter & saltuum avia Deificō bajulatur  
sinu, fovetur, conservatur. Hinc pace mēa totius prōspexitatis  
venam absque oberrante mæandrorum discursu Dux Idumæus  
reclā in unam dilectionis metam decurrisse fuerit arbitratus :  
quod Benjamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi Deut. I. 1.c.  
in thalamo totâ die morabitur : & inter humeros illius conquiescat. Hem 33. v. 12.

grande amoris fomentum ! unâ diei luculâ, quæ cum ortu præ-  
maturum occidui gaudii prænuntium, jam Hesperum respicit,  
inter humeros locâsse thalamum. Quid ergo erit in pectore ? ro-  
gat Gilibertus, utrobique sanè pulcher contemplationis locus, cogitationum  
sedes, amplexus occasio, & cernendi copia vultus : ibi enim & deliciæ sponsi,  
& dixitiae Verbi : quia in illo absconditi sunt omnes thesauri sapientiae, &  
scientiae DEI.

Serm. 12.

Gratulor tibi ô Discipulorum Benjamine ! tor-  
rum tuum, floridam amoris sedem, nec Sponsa inventò, quem  
non dimitteret, tam suaviter cubuerit, quando omnis sinistioris  
casus se se exortem astinet, modò Dilecti lava Ejus substernatur  
capiti. Ah ! quam germanè hic Dilecta metuo ; nè propediem  
caput suum dolens rosas aspiret, & lilia, unius solis emarcida  
fulcra. Tuitior Joanneus unio è Dominico propendet sinu, at-  
que ista delassatos amore artus inter floralia reficiat.

Imò &  
Quiritibus inviso favoris documento deservierit in Aurelii gre-  
mio quiescentem cænavisse Heliogabalum ! Num stupore di-  
gnum facinus ? Non Romanorum aquilam haud degenerem  
pullum, sed corvum sibi sovisse similem. Num invidendum  
dominatrici Urbium ? non facundum ibi Imperii pomum, sed  
affines rosarum voluptario sentes, infelici Reipublicæ lolio in-  
sertos, excreuisse, qui feriendi potius justitiaz fascibus, quam fe-

Xiphilinus.

rendis aptabantur. At verò candidum rorem gratiæ super Christi peccatore, ceu gratiarum conchyli altissimis enutritum sacramentis ad amoris plenitudinem permaturessere; in hoc prægrandis meriti pro claritate, candoreque orbis agnoscat præmium. Nihil tamen AA. æquè meum defigit animum; quām quod Joannes quantò amplius appropinquabat vehementissimis amorum incendiis flagranti Justitiæ Soli, tanto magè refocillatus, velut si mollibus Etesiarum pinnulis perstringeretur, in amplexu perseveraverit: Cùm tamen ( si commenta veritatis allucent umbram ) Serenissimus Planetarum Princeps dimidium cordis sui Phaëtonem arctius admisurus, coronarios antè se posuerit radios; nè Filius in osculo, alioqui symbolo amoris, à parente perfidam libaret mortem. Non sic Joanneus candor evitavit amoris Vulcaniam, sed anhelavit, non nescius: illam non modò augendo candori, sed & claritati magis excoquendæ fore opportunam, illuminationerèmque se indè abiturum, quām si Clarii fontis exsorbiisset fundum, aut vadidicam Phœbi cortinam revelasset. Hinc, unde alii oppressi sunt à gloria, isthinc ille se se elevatum iri non absque certo omniæ augurabatur. Et hoc est: cur se cordi usquequaque tenuerit proximum, nè tam fixus, quām immersus videretur crystallino gratiarum fonti Narcissus innocentior, ex quo sibi quidem vitam iremissò spiritu, orbi universo hauriebat salutem. Scitetur jam unus aliquis pro Joannea eminentia solicitior, quis Discipulorum primatum teneat? & reponet alius: quod, si Apostolorum corona in pescatorum annulum circinatur, pro gemma radiet unio Joanneus. Nec dixerit quid acutius. Me tamen arbitrò, si in Divinissimo peccatore adorare par est sacratus lararium; in ibidem locato Joanne nil minus Semi-Deo venerabor. Nè autem, præpostero stimulatus affectu, æquitatis in dicendo regulam insimuler excessisse, argumentantis Origenis subscribam. 2. in bite authoritati: Non ergo Joannes erat homo, sed plus, quām homo; non enim aliter ascendere potuit in DEUM, nisi fieret DELS. Ni.

Nimirum thaumaturga amoris ; gratiaeque potentia illum ita  
DEUM extulit, quem natura , obsequiorem affectum exili-  
bus mortalitatis circumscriptum limitibus , levi pulvere stu-  
duit sepelire. Quamobrem indignarer tibi ô ! communis  
Mater Tellus , temeritatisque minimè iniquus iudex ego te  
arguerem , quod magnum quid in Joanne contradicieribus ,  
ac decuerit, cancellis coarctaveris : nisi in hoc ipso provi-  
dam potius perspicerem mentem ; quod videlicet, dum Joa-  
nnes suum in te explicuit speculum , ut humilitatis altissimæ  
studiorum proprii candoris, lucisque umbras rimaretur, suam in  
pulvere lecturus genealogiam, tu simul intuenti mortalium  
posteriori representantur, humanum fermè nihil ; Divinitatis  
plurimum in te reflecti à Joanne. Scribe jam ineffabilis  
Verbi facundissime Tacite, scribe Discipulum, quem diliebat JE-  
sus. An adeò brevis tibi memoria, ut aut nominis proprii  
meminisse nequas, aut anonymous audire ardeas ? imò conti-  
ce ! breviorem fecisses Orbi cum desiderio tui memoriam ,  
si Joannem inscripisses. Non decet fugacibus notis com-  
mittere, quod perennes fastos meretur, sibique ipsi in inde-  
lebilem formatur dilectionis characteristicam. Nam qui  
mundus tui obliviisci poterit ? quando illi pendes ex pecto-  
re, qui trium digitorum adminiculò molem terraqueam su-  
spendit. Indè AA. pondus , magnitudinemque Joanneæ  
gemmae colligite, postquam ipsi ferendæ non tres, ut Orbi ,  
sufficiunt dīgitī. Collum, humeros , pectus requirit totum.  
Prō quanta amoris gravitas ! cui grave ac importabile foret ,  
levem inconstantem esse in amando.

Ut nē autem orbe sphæricō , tertiatā unionis dote , orba-  
tum Joannem vestris objiciam oculis, abs qua & candori in-  
ustam maculam, & claritati injectam Cimmeriam criticus e-  
ruderaret oculus , ita hanc graphicè in se ille contendit ex-  
primere ; ut neque in obedientia velocitatis Angelicæ , ne-  
que in zelo alacritatis fulmineæ , neque in adversitatum in-  
temperiis adamantineæ constantiæ desidereretis aliquid. Ze-  
lum

lum pétitis ? sphæram activitatis illius excedit nihil. Extrā mundi, si potestis, eum excutite orbitam ! ibidem & laborum campus ad messem albescet, & manipulos leget Divinæ gloriæ, quam promovebit in terris, cælica Intelligentia. Obedientiam rigidiori subjicitis trutinæ ? regitur ab eo pendulus, ex cuius regula omnium pendent voluntates. Impellat Joannem vel nutus superni indicis sive ad Gorgoneas Asiae oras, sive superstitionis Parhicæ infidelitatis delubra ! nil hæc morabitur : per vibratos etiam ensium acinaces pro more sphærico saltaturus, Præcursorem, si sors tulerit, antevolabit unio Joanneus, nusquam supernæ beatitatis coronæ maturior, quām si in Herodiadum disco conchilium, in cruce proprio purpureum liquorem nactus fuerit, unde lactatus ad palmarem gloriæ assurgat amplitudinem. Hinc nec sic Parnassus novenō adornatus choragiō in decantatum Pyrrhi achatem increvit, quām altè ingeniosum amoris cælum Joanneæ gemmæ suum insculperat Amatum. Sed quoniam paclō ex volubili margariti orbe fixam firmitatem evolvēs Encomiastes ? hic rodus, hic saltus ! at macte animis ! manuduætrix filum sufficit virtus Joannea ; quoniam quod aliis in inconstantiæ, vicissitudinisque emblema abiit, hoc Joannis infractam animi adumbrat fortitudinem. Nam spectâstis quid unquam fortius ? quām per aurei amoris vincula ita indissolubili nexu alligari amato : ut, sive amores rideant, & aspirent Favonii ; sive furores infremant, rigidusque adversitatum bacchetur Boreas ; in quam demum cunque partem jaetetur unio sphæricus, semper in puncto tangat, hæreatque Cordis Theandrici. O superum, hominumque hic apel-lo constantiam ! quis ejusmodi Spartanum legit magnanimitatis robur ? unde si meus unio in sydeream locaretur Galaxiam, nullis æquiūs, atque fixis scirem annumerandum stellis. Quare scitote AA. Joannem non tantum à corde dependere ac oculis Domini, cùm nivea majestas explicat thronum gloriæ, cùm in Sioneo pacis vertice aurea dispensantur

tur munera gratiæ ; etiam ex calice aconita spumante cra-  
ter bibitur Philotesius , etiam super tragico crudelitatis the-  
atro , Clivo Calvariaæ sphæricus stat unio , nunquam à lapsu  
remotior ; quam ubi in præcipiti vita sui Magistri consistit.  
Stat , inquam , hic inconcussa anima , nec candorem reputat,  
nisi stolam lavet in Agni immaculati sanguine . Sed enī  
nescio , quæ hic animum subeat dubitatio ? an videlicet Jo-  
annes extaticas inter favorum delicias , an continuata inter  
dolorum deliquia propinquior fuerit Theandrici amoris por-  
ta ? Nodus hic aciei acrioris intellectus solvendus maneat.  
Mihi problema esto . Claritati tamen Joanneæ haud ob-  
scurum accessit auctarium , quod crucis oneri substans Regi-  
nae Virginum virgo unio non tam in honorarium , quam Fi-  
lium sit adoptatus . O insolens hæreditatis genus ! at id  
ipsum me advertit : non esse præposterum ordinem chari-  
tatis ; ut postquam Virginei Unionis Pater , Sol Divinior , ma-  
jestatem obnubilat mortalitate , atque sub vitæ vesperam ra-  
diōsum vepretō Caput Erythræo dolorum mari immergit ,  
Joannes ob subsequam afflictionis noctem in succedaneum Ca-  
put obtineat Matrem , pulchram , ut Lunam ; ut si forte il-  
lum candoris , à cælico Rore hausti , deficiat quidpiam , id à  
laetio influxu Virginis , velut ab ubere pleno gratiæ , com-  
pensetur . Itaque in semel coepta constantia Joanneus U-  
nio , ut ut subirascente fortunâ , nullò movetur impetu , nisi  
ad altiorem gradum gratiæ , & sanctitatis . Nam , si bene  
memini , uti candor unionis purpureo innatat liquori , dñm a-  
dolescit ; ita suus . Castitati candor integer non est , ubi an-  
teambulo , aut certè comes non sit nativus verecundiæ co-  
lor , qui Veronensium Oraculo : *rosa pudoris est , & corporis* S. Zenode  
*floriarium* . Ergo ut lactescat ex toto candor , claritasque Jo- Lazarus .  
annei Unionis , purpurissum suum tingi amat ab eo , quem  
nunquam Palæstina formosiorum viderat , quam candidum &  
rubicundum inter vulnera . Quocirca neutiquam solici-  
tare Facultas Eximia , ecquâ ratione innocui candoris poly-  
mita

mita in Joanne tux purpūræ concoloretur ? nec enim opus  
habet , ut Pāthmās rigor spinas parturiat , & aculeos , qui-  
bus compunctus candor cum Cypridis , Adonidisve floribus  
ad ruborem erudiatur . . . Quin conteratur , non tergiver-  
sor , torus Unio ! dabit tamen , quod suum est : oppressis  
medelam , fidelem pedissequam charitatis . Expediebat ali-  
quando , quod noveritis A.A. coronata Romanorum s̄evities  
extuentes lebetes , & sartagines , ebullientes mortes & toxi-  
ca , vel sic cupiens in alterutris integritatem verecundi pu-  
doris naufragium facere ; Et nē spes daretur tabulæ , emer-  
gendive copia , isthmō illam cōclusit ænēd , quō angustiæ  
ampliori suffragarentur exitio . . . Sed lusam se vidit vultuo-  
fa crudelitas à supernatante orbe illius , ac constantia ; quan-  
do in oleo perdidit , quam impendit , operam : siquidem ex  
hoc ipso Dilectum reddidit DEI - Hominis simillimum : quia  
à cruciatu fortiorem , à mortibus , repueracente Phoenicis se-  
nectâ feliciorem , ad novam vitam fecit juvenescere . Ob-  
mutescerem hīc meritō , si liceret , in pīscem ad officiosam  
humanitatem tuam erga Joannem exercitam ô ! inhumana  
immanitas : quōd in illius claritate extinētum iveris ignem  
cælicum , oleum assundendo . Sed vah inconsultum medi-  
um ? animâsti incendia , non extinxisti . Subtrahe , non ade  
de igni nutrimentum ; & fervor emoritur . Serenâsti , non  
tumulâsti : nativa hæc olei virtus est . Neque enim hīc mor-  
tis frater suum idē exercebit imperium : quia in monte oli-  
varum illinc segne papaver differere , isthinc perfidæ pacis a-  
marulentum putare oleastrum non est vetitus . Argum o-  
culatiorem , non cæco furoris raptu oberrantem induisses tal-  
pam ; & ex ipso nominis etymo servâsses Joannem esse uni-  
cum : quia unionem ; vidisses exemptum forte Corrivali-  
um , quia singularem : adversus quem tametsi Orcinum Ty-  
rannidis satellitum mille Daretes expediāt , violentos æmu-  
los , unus Joannes omnes exarmabit Entellus vīctor , cui si  
qua cum Antai lapsu foret necessitudo , vel indē surgeret ro-  
bora-

boration. Scilicet nec sphæra ex uno avellitur puncto , ut non pari constantia mox figatur in altero. Promat namque aliis prognosēs suas Vaticinantū Os , atque Caput de crucibus & lanceis , cultris simul ac clavis ! percontetur curiosior , sed simplex Columbae Filius : hic autem quid ? capietur <sup>Joan. ex. c.</sup> Laconicō , utinam ! non responsō satyricō , dum de unico expiscatur : sic eum volo manere , quid ad te ? Nec Joannes audiret unio ; si facile sibi parem sortiretur , aut secundum Repræsentet igitur ( effero vernantes Agonothetarum palmas ; & adoreas ) cæterorum Discipulorum syllabus à roseis matutinum orbem resalutantis , Auroraे cirris resecta segmina ; repræsentet , inquam , gratosè sanguinantes rubiños . Joannes unicus à Virginitatis candore præstans , à mysteriorum revelatione clarus , ab orbe expeditæ obedientiæ , zelosaque activitate eximius manebit Unio , nulla ingruentium calamitatum separandus tempestate . Et vel indè incassum arctius cum Euangelico Margaritarum Negotiatore nundinata es commercium indeles , & avara penè procuratrix Mater pro Filio . Quid amabo ad frugem fecerit , seu Joannes à dextris , seu sinistris in Regno sedeat , modò in pectoris thalamo medius conquiescat ?

Quapropter & meus pro Joannei Unionis præminētia cum assidua Matre desinat porrò desūdere panegyricus , atque ita à Rhetorices stibio qualem qualem emendicare apparatus . Sat interim unioni suus candor sit , inargentatum Zenobiz stuporem dentium , gemmeum nitorem mentientem , supergrediens . Tu interim Senatus , Populéque Academice argumentorum levitatem noli graviter ferre : pro pennipede amore peroravi ; plumbeos hic odit pedes , ornatusque mutuatitios : quia nonnisi levi pennæ instrūctus in altum tollitur . Si Suadæ obscurioris fuligine claritatem Joannei Unionis obfuscavi ; nè tristeris : atratam pro armis sepiam Minervæ stationarius tractare suevi , per frequenter albo- Trebellius  
Pollio in  
30 tyran.

ri adversariam. Si propositionum turbatō processi ordine : in orbem coēgit sphērica, & velox Joannis obedientia. Aut si denique pro rostris stanti aqua hæsit ; in centro Theandri- ci Cordis fixo Unioni dabitis veniam : hic dicentis abstraxit, & tantūm non sydéravit animum suā magnitudine. Unum ergo adhuc, quod metuam, est : nè quā ratione tibi Facultas Eximia pro Joanne tuo fecerim satis ? suppuderet profes- sōd pro Scientiarum Vertice me annum honoris censum per- solvisse ; si antē ad purpūram tuam non erubuisse Oratori- is solum tinctus fluminibus ; qui ultra ligatos pedes scandere non sum permisus. Linguae idcirco minus solutæ parcito, quamvis veteranum Demosthenem, aut proœctioris artis Au- relium, in dicendo Roscios, loqui oportuisset. Nè tamen persuasisse videar nihil : Joanneam omnium elegantiarum gemmam aureo torqui tuo appensam impleste, totō com- plectere sinu, atque pectore, quō mente & corde æternūm hæreat Joannes, quem

# D I X . I.

